

# JAHRESBERICHT

des

K. K. ZWEITEN OBERGYMNASIUMS

in Lemberg

FÜR DAS SCHULJAHR

1902



LEMBERG.

Buchdruckerei und Lithographie Piller & Comp.

1902.




nr 125  
Spr. 132

## Inhalt:

←→

1. Abhandlung des Prof. Dr. Jos. Ogórek: Quae ratio intercedat inter Ciceronis Paradoxa Stoicorum et Horatii stoicismum, qui Satiris Epistulisque eius continetur. (Res absolvitur).
2. Schulnachrichten von der Direction.





Quae ratio intercedat inter Ciceronis Paradoxa Stoicorum et Horati  
stoicismum, qui Satiris Epistulisque eius continetur.\*)

Scrīpsit

**Prof. Dr. Jos. Ogórek.**

(Pars posterior).

II.

Ut inter veteres solutae orationis scriptores romanos, qui philosophiae disciplinas colebant, nemo maiorem famam aut illustrius nomen consecutus est, quam Cicero, qui philosophi ius titulumque, quem sibi ipse ambitiose vindicabat, apud veteres et recentiores non iniquo calculo accepit, sic inter poetas certe Horatius primum obtinet locum in numero eorum, qui poesim cum philosophia arte coniungere et doctores sapientiae amabili poeseos vestitu exornatae evadere studebant

Atque Horatium apprime philosophiae vacasse eiusque praecepta poetico sermone exornasse, testantur longe plurimi loci eius carminum, quos procedente dissertatione alios post alios cognoscemus. Et primum quidem eum Athenis philosophiae operam navasse ex ipso comperimus, cum dicat:<sup>1)</sup>

Adiecere bonae paulo plus artis Athenae,  
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum  
Atque inter silvas Academi quaerere verum.

Attamen audaciae vel potius inscitiae esset inde conicere, Horatium Academicorum sectae unice aut saltem magis huic quam cuivis alii deditum fuisse. Nam primum non constat, Academicos philosophos solos tum temporis in illo docuisse loco, qui a suo auctore Academus vocabatur Academia, deinde carmina poetae evolventibus nobis facile apparet, aliis praeceptis aliarumque sectarum dogmatibus eadem scatere et imbuta esse, quam quae Academiae erant propria.

\*) Sic priorem quoque partem libelli 1901 in publicum propositi inscriptam esse velim, ubi et corrigenda quaedam, aciem oculorum elapsa, hic ad calcem adiciuntur.

<sup>1)</sup> Epist. II. 2, 43 sqq.

Praeterea observandum est, poetam philosophiae eo magis operam dedisse, quo plus in dies evanesceret minuereturque spiritus seu afflatus ille poeticus, quo ad carmina lyrica pangenda rapiebatur; iam vero proveciore aetate aperte declarat, se artem poeticam iunioribus relinquere, ipsum autem philosophiae vacare velle <sup>1)</sup>

Cuius vero generis sint illae philosophicae quaestiones, quas sibi disquirendas proponit, ex multis comperimus locis. Sic, iam Athenis, inquit, se didicisse »curvo dignoscere rectum«<sup>2)</sup>, i. e. morale bonum discernere a morali malo. Porro in secessu ruris perscrutari se dicit agitareque de illis rebus, quae felicitatem comparent: »agitamus: utrumne divitiis homines an sint virtute beati:«<sup>3)</sup> item de amicitia, de summo bono quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos et quae sit natura boni summumque quid eius.<sup>4)</sup> Aperte vero, quid sibi curae sit, proficitur, ubi copiosissime de principiis suis philosophicis disserit:<sup>5)</sup>

Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono:

Quid verum atque edecens, curo et rogo, et omnis in hoc sum.

Horatius ubique operam dat philosophiae practicae, quae dicitur, seu ethicae, et quidem eo consilio, ut sibi vitam aequabilem comparet.<sup>6)</sup>

Nimirum sapere est abiectis utile nugis,  
Et tempestivum pueris concedere ludum,  
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,  
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.

At quamquam poeta sectarum philosophicarum, praecipue earum, quae illo tempore vigeant, optime est gnarus, tamen id nos ignorare non vult, sese nullius scholae praeceptis addictum esse totum, sed, quocumque tempestate deferatur, excipi se hospitio pati.<sup>7)</sup>

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:  
Nullius addictus iurare in verba magistri,  
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes  
Nunc agilis lio et mersor civilibus undis,  
Virtutis verae custos rigidusque satelles;  
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor,  
Et mihi res, non me rebus subiungere conor.

Inde quamvis merito quis colligere possit, nullius certae philosophorum disciplinae legibus fuisse astrictum Horatium, nihilominus tamen in Satiras atque Epistulas eius inquiringibus nobis protinus persuasum esse debet, duas illius temporis sectas philosophicas: maxime poetae probatas fuisse, ita ut earum placitis atque dogmati-

<sup>1)</sup> Epist. II, 2, 141 sqq. I, 1, 10 sqq.

<sup>2)</sup> Epist. II, 2, 44.

<sup>3)</sup> Sat. II, 6, 73 sqq.

<sup>4)</sup> Ibid. v 75 sqq.

<sup>5)</sup> Epist. I, 1, 10 sqq.

<sup>6)</sup> Epist. II, 2, 141 sqq.

<sup>7)</sup> Epist. I, 1, 13 sqq.

bus universam eius vivendi, sentiendi, agendi rationem occupatam atque gubernatam esse videamus. Quae duae sectae erant una Epicuri, altera Zenonis Stoici. A parte stetisse Horatium et huius et illius ex ipsius verbis manifestum fit. Nam quod ad Epicurismum attinet, festive dicit Epistula ad Albium Tibullum poetam missa:<sup>1)</sup>

Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,  
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Et magnopere eum huius philosophiae praeceptis favisse, ex permultis locis tam Carminum quam Sermonum elucet.<sup>2)</sup> Neque tamen hoc impedit, quominus eum aequè studiosum sectatorem stoicae quoque philosophiae comperiamus. Collatis enim, qui huc pertinent, Satirarum Epistularumque locis cuique manifestum erit, Horatium et universae Stoicorum disciplinae fuisse peritissimum et praecipuam parti eiusdem ethicae operam navasse.

Itaque ne rem dilatemus nimiumque extenuamus, primum nobis demonstrandum erit, re vera doctrinam Stoicam a poeta in Satiris atque Epistulis propositam inveniri, deinde ostendendum, quo animo quoque sensu ac ratione Stoicismus ille in Sermonibus eius tractetur; quod si confecerimus, nostrum erit denique comparationem quandam inter Ciceronis Paradoxa Stoicorum et Horatii Stoicismum instituere, ut appareat, utrum nexus aliquis aliquave ratio inter hunc et illa obtineatur neene.

Videamus igitur primum, quo modo Horatius Stoicorum doctrinae inde a primo tempore, quo ad poesim se applicaverat, studuerit, deinde qua ratione praecepta eorum tractaverit. Quod ut rite exsequamur, tota quaestio nobis intra certos fines coarctanda esse videtur, cum non universam Stoicorum philosophiam, sed partes tantum quasdam apud Horatium quaerendas et diiudicandas suscipiamus necesse sit. Etenim cum universa Stoicorum doctrina ex tribus potissimum partibus constituta sit, logica videlicet, physica atque ethica seu parte morali,<sup>3)</sup> nos unam omnino missam faciemus et altera non nisi per occasionem tantum attacta moralem praecipue partem animum advertemus eamque accuratius considerabimus. Quod ut ita instituamus, et ipsa rei natura et thesi proposita cogimur. Nam quod ad logicam Stoicae doctrinae partem attinet, ea nihil ad Horatium. Quae autem ad physicam referri possunt, non sunt illa quidem omnia poetae ex-

<sup>1)</sup> Epist. I, 4, 15 sqq.

<sup>2)</sup> Cfr. Epist. I, 17, 17 sqq.

<sup>3)</sup> Plut. de Plac. Ph. I. prooem. *Οἱ — Στωικοὶ ἔφασαν τὴν μὲν σοφίαν εἶναι θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων ἐπιστήμην τὴν δὲ φιλοσοφίαν ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείου. ἐπιτηδεῖον δ' εἶναι μίαν καὶ ἀνωτάτω τὴν ἀρετὴν ἀρετᾶς δὲ τὰς γενικωτάτας τρεῖς, φυσικὴν, ἠθικὴν, λογικὴν. δι' ἣν αἰτίαν καὶ τριμερὴς ἐστὶν ἡ φιλοσοφία· ἥς τὸ μὲν φυσικόν, τὸ δὲ ἠθικόν, τὸ δὲ λογικόν.* Cfr. Diog. L. VII, 40. Sext. Emp. adv. Math. VII, 17. Plut. de Stoic. Rep. 9.

clusa, cum inveniuntur nonnulla, maxime quae ad deorum hominumque naturam et divinationem pertinent, haec tamen adeo sunt exigua, ut fusiore eorum quaestione supersedere possimus, imprimis cum nihil eis sit cum Ciceronis Paradoxo Stoicorum commune. His limitibus positus fieri non posse videtur, quin brevissimam saltem adumbrationem moralis Stoicorum philosophiae proponamus.

Stoicis auctoribus mundus est per aeternas leges easque maxime stabiles concinne atque harmonice confectum universum, singulas autem res, aiunt, cuiuscunque generis, in hoc universo obvias, esse unum quoddam momentum in universa mundi vita; quare homini nihil maius, nihil praestantius esse debere, quam ut sollertissime studeat, ut cum illo totius universi ordine apprime consentiat prorsusque concorditer vivat cum natura.<sup>1)</sup> Hanc vitam cum natura consentientem consistere in eo, ut homo tamquam singulare animal mente praeditum primo universam, deinde suam ipsius naturam bene cognoscat atque, ut illa prior praecipiat, hoc est rationi conformiter vivat agatque.<sup>2)</sup> Modum atque finem rationi conformiter vivendi esse bonum et virtutem. Proinde bene vivere seu honeste vivere atque agere summum esse finem vivendi, cum hoc modo solum homo cum praeceptis naturae cumque eius mente et ratione consentire possit. Hinc voluntatem quoque hominis ita solum concordem fieri posse cum voluntate Universi-Dei. Hominem igitur, si talem instituerit vitam, conficere naturalem suum finem, id est assequi eum summum bonum seu perfectam beatitudinem.

Quare beatitudo, docent Stoici, nullatenus in voluptate consistere potest, quippe quae, quod ad naturalem finem attinet, nihil valeat aut omnino malum sit,<sup>3)</sup> sed conficitur ea eius modi vita, quae nulla re perturbata fluat, hoc est vita, morali sola in stabili virtutis:

<sup>1)</sup> Diog. Laert. VII, 87: *πρῶτος ὁ Ζήνων ἐν τῷ περὶ ἀνθρώπου φύσεως τέλος εἶπε τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐστὶ κατ' ἀρετὴν ζῆν. ἄγει γὰρ πρὸς ταύτην ἡ φύσις.* Euseb. praeparat. evang. XIII, 13, 15: *οἱ μὲν Στωϊκοὶ τὸ τέλος τῆς φιλοσοφίας τὸ ἀκολουθῶν τῇ φύσει ζῆν εἰρήκασι, , κ. τ. λ.* Lact. divin. instit. III, 7, 8: Zenonis (summum bonum est) cum natura congruenter vivere: quorundam Stoicorum, virtutem sequi.

<sup>2)</sup> Stob. Eclog. II, p. 132: *τὸ δὲ τέλος (τοῦ βίου) ὁ μὲν Ζήνων οὕτως ἀπέδωκε τὸ ὁμολογουμένως ζῆν. — Κλεάνθης — προσέθηκε „τῇ φύσει“ καὶ οὕτως ἀπέδωκε, τέλος ἐστὶ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν. ὅπερ ὁ Χρῦσιππος σαφέστερον βουλόμενος ποιῆσαι ἐξήνεγκε τὸν τρόπον τοῦτον, ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων.*

<sup>3)</sup> Diog. VII, 103. *ἀλλ' οὐδὲ τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν φασιν Ἐκάτων τ' ἐν τῷ ἐνάτῳ περὶ ἀγαθῶν καὶ Χρῦσιππος ἐν τοῖς περὶ ἡδονῆς. εἶναι γὰρ καὶ αἰσχροῦς ἡδονάς, μηδὲν δ' αἰσχρὸν εἶναι ἀγαθόν.* Stob. Eclog. II, 90-sqq (ed. Meinek. p. 27. sq. t. II). Sext. Empir. adv. Mathem. XI, 73. Pyrrhoneon hypotyp. III, 168 sqq. Cleanth. hymn. 29.

fundamento posita.<sup>1)</sup> Virtus itaque non solum summum sed etiam unicum est bonum, quod ad felicitatem prorsus sufficiat.<sup>2)</sup> Virtus neque crescere neque decrescere potest. Inter virtutem et vitium nihil est medii, quoniam discrimen inter hoc et illam est absolutum separaturque alterum ab altero tam perfecte, ut omnes virtutes et bene facta paria evadant, paria item sint omnia vitia maleque facta.<sup>3)</sup> Secundum notionem unitatis omnes virtutes, aiunt Stoici, inesse in eo, qui unam acquisivisset, itemque, qui omnes virtutes sibi comparasset suasque fecisset proprias, eum unam vere proprieque habere.<sup>4)</sup> E contrario in illo omnia inesse peccata, qui unum commisisset.<sup>5)</sup> Virtutem, quam quis nactus esset, amitti non posse docet Cleanthes, quocum dissentiens Chrysippus eam amitti quoque posse affirmat.<sup>6)</sup>

Quia Stoicis auctoribus inter virtutem et vitium nihil intersit medii, cum discrimen inter hoc et illam sit absolutum, sequitur, ut perfectum quoque exstet discrimen inter omnes homines ita, ut ex duabus, quae sint eorum classes, alteri vera cognitione et virtute praediti, alteri aequae hac atque illa destituti evadant. Illos esse sapientes, probatos, eximios, hos prorsus miseros, stultos, malos.<sup>7)</sup> Illis omnes esse comparatas virtutes, his omnia vitia.

<sup>1)</sup> Stob. Eclog. II, 138: *τὴν δὲ εὐδαιμονίαν ὁ Ζήνων ὠρίσατο τὸν τρόπον τοῦτον· εὐδαιμονία δ' ἐστὶν εὐροια βίου*. Diog. VII, 88. Sext. Empir. Pyrrhon hypotyp. III, 172: *εὐδαιμονία δὲ ἐστὶν, ὡς οἱ στωϊκοὶ φασί, εὐροια βίου*.

<sup>2)</sup> Diog. VII, 127: *αὐτάρκη τ' εἶναι αὐτὴν (τὴν ἀρετὴν) πρὸς εὐδαιμονίαν, καθά φησι Ζήνων καὶ Χρῦσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἀρετῶν καὶ ἑκάτων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ ἀγαθῶν*.

<sup>3)</sup> Diog. I, l. *Λέγουσι δὲ μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι — εἶναι δὲ τοῦτο ἀρετὴν καὶ τὸ μετέχον ἀρετῆς. — δοκεῖ δὲ πάντα τὰ ἀγαθὰ ἴσα εἶναι καὶ πᾶν ἀγαθὸν ἐπ' ἄκρον εἶναι αἰρετὸν καὶ μὴτ' ἄνεσιν μὴτ' ἐπίτασιν ἐπιδέχεσθαι*. Plut. de Stoic. repug. 13.

<sup>4)</sup> Plut. I, l. 27: *Τὰς ἀρετὰς φησὶν (sc. Χρῦσιππος) ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, οὐ μόνον τῷ τὴν μίαν ἔχοντα, πάσας ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τῷ τὸν κατὰ μίαν ὄντιον ἐνεργοῦντα, κατὰ πάσας ἐνεργεῖν οὐτ' ἄνδρα φησὶ τέλειον εἶναι τὸν μὴ πάσας ἔχοντα τὰς ἀρετὰς, οὔτε πρᾶξιν τελείαν, ἥτις οὐ κατὰ πάσας πράττεται τὰς ἀρετὰς*. Stob. Eclog. II, p. 110 sq. Cic. de off. II, 10, 35: cum inter omnes philosophos constet a meque ipso saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita seiungam etc.

<sup>5)</sup> Stob. Eclog. II, p. 216: *καθ' ἕκαστον γὰρ ἀμάρτημα ὁ φαῦλος ἀπαρεσπτόν τι ποιεῖ θεοῖς. ἐν δὲ ἐπεὶ πᾶς φαῦλος ὅσα ποιεῖ κατὰ κακίαν ποιεῖ καθάπερ ὁ σπουδαῖος κατ' ἀρετὴν, καὶ ὁ μίαν ἔχων κακίαν πάσας ἔχει*.

<sup>6)</sup> Diog. VII, 127: *καὶ μὴν τὴν ἀρετὴν Χρῦσιππος μὲν ἀποβλητὴν, Κλεάνδης δὲ ἀναπόβλητον (φησὶ εἶναι)*.

<sup>7)</sup> Stob. Eclog. II, p. 198: *ἀρέσκει γὰρ τῷ τε Ζήνωνι καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ στωϊκοῖς φιλοσόφοις δύο γένη τῶν ἀνθρώπων εἶναι, τὸ μὲν τῶν σπουδαίων τὸ δὲ τῶν φαύλων*.

Cum igitur philosophus Stoicus perfectarum tantum et absolute bonarum actionum capax potensque sit, solus felix evadat necesse est adeo, ut felicitas eius neque augeri neque minui possit.<sup>1)</sup> Quocirca sapiens elatus est super omnes casus extraneos eventusque, utpote qui inter cruciatus ipsos ipsaque tormenta felicem se esse non infitietur.<sup>2)</sup> Idem liber est ab omnibus animi cupiditatibus mentisque perturbationibus et plane alienus ab omni timore et appetitu. Hunc neque damnum ullum afficit aut dolor perturbat, neque calamitas ulla tranquillitatem animi eius movet sollicitatve.<sup>3)</sup> Cum sapiens solus accuratissime cognoscat rerum naturam, sequitur inde, ut solus omnia sciat, quae scienda sint, et melius quaecumque intellegat quam alius quilibet. Idcirco ille solus est vir regendae civitatis peritissimus, ille legislator, orator, paedagogus, ille dialecticae artis peritus, idem vates, rex, idem solus dives, solus pulcher et formosus; omnia quae sunt, ipsius sunt. Ille est consul, ille praetor:<sup>4)</sup> ne plura, ille solus potens est atque idoneus, qui omnibus vitae condicionibus plene perfecteque satisfaciat, cum, qui philosophus non sit, semper ferox incultusque maneat. Nam licet multarum rerum comprehenderit scientiam, verae tamen felicitatis participem eum fieri nequire, quod fundamentum ei desit, quo haec omnia nitantur, mentis scilicet animique perfectionem: dum interim Stoicus, vera cognitione rerum

1) Stob. Eclog. II, 116 sq. *φασὶ δὲ καὶ πάντα ποιεῖν τὸν σοφὸν κατὰ πάσας τὰς ἀρετάς. πᾶσαν γὰρ πράξιν τελείαν αὐτοῦ εἶναι, διὸ καὶ μηδεμιᾶς ἀπολελειφθαι ἀρετῆς.* *ibid.* p. 120. 198: *καὶ τὸ μὲν τῶν σπουδαίων (γένος) διὰ παντὸς τοῦ βίου χρῆσθαι ταῖς ἀρεταῖς, τὸ δὲ τῶν φαύλων ταῖς κακίαις: ὅθεν τὸ μὲν αἰεὶ κατορθοῦν ἐν ἅπασιν οἷς προστίθεται, τὸ δὲ ἀμαρτάνειν κ. τ. λ.*

2) Plut. de Stoic. repug. 20: *Λέγει (ὁ Χρῦσιππος) „τὸν σοφόν, εἰ τὴν μεγίστην οὐσίαν ἀποβάλοι δραχμὴν μίαν ἐκβεβληκέναι δόξειν.“* Diog. VII, 117: *Φασὶ δὲ καὶ ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφόν, διὸ τὸ ἀνέμπρωτον εἶναι κ. τ. λ.*

3) Stob. Eclog. II, 198. 200. Plut. l. l. 26. 30. 31. Cicer. Acad. II, 44, 135: *Quid? illa — num pro veris probare possumus? Sapientis animum numquam nec cupiditate moveri nec laetitia ecerferi.* Senec. Epist. 72, 8: *etiam si quid obvenit (sapienti), secure excipit ac reponit. Laetitia fruitur maxima, continua, sua.*

4) Diog. VII, 121 sq. *μόνον τ' ἐλεύθερον (εἶναι φασὶ τὸν σοφόν), τοὺς δὲ φαύλους δούλους — οὐ μόνον δ' ἐλευθέρους εἶναι τοὺς σοφοὺς, ἀλλὰ καὶ βασιλέας, τῆς βασιλείας οὐσης ἀρχῆς ἀνυπευθύνου, ἧτις περὶ μόνους ἂν τοὺς σοφοὺς συσταίη, καθά φησι Χρῦσιππος — ὁμοίως δὲ καὶ ἀρχικοὺς δικαστικοὺς τε καὶ ῥητορικοὺς μόνους εἶναι, τῶν δὲ φαύλων οὐδὲνα. ἔτι καὶ ἀναμαρτήτους, τῶ ἀπεριπτώτους εἶναι ἀμαρτήματι.* Stob. Eclog. II, 122. 200. Cic. Acad. II, 44, 136: *illa vero ferre non possum, non quo discipliceant — sunt enim Socratica pleraque mirabilia Stoicorum, quae paradoxa nominantur, — sed ubi Xenocrates, ubi Aristoteles ista tetigit? hos enim quasi eosdem esse vultis. Illi unquam dicerent sapientes solos reges, solos divites, solos formosos? omnia, quae ubique essent, sapientis esse? neminem consulem, praetorem, imperatorem — nisi sapientem? postremo solum civem, solum liberum? in ipientes omnes peregrinos, exsules, servos, furiosos? Cfr. Senec. Epist. 108, 13.*



universarum praeditus in omnibus vitae condicionibus splendeat virtutibus quibuscunque<sup>1)</sup>.

(Cuique, nisi ex professo Stoicus sit, dogmata haec primo obtutu non modo non verisimilia sed etiam ridicula apparere, facile est intellectu. Itaque non mirum, si Horatius non abstinit, quin eadem irrideret et pungens perstringeret. Atque imprimis Paradoxa illa Stoicorum, quae ferebantur, libenter vellicat.

Sic illud Stoicorum dogma, solum sapientem scientiam rerum omnium habere, id est praeditum perfecta rerum omnium cognitione non solum de quibuscunque opificiis et artibus rectum iustumque iudicium ferre posse, sed etiam omnia ea intellegere, quae ad regendum animos ingeniaque pertinerent, ridiculum faciens dicit:

Si dives, qui sapiens est,  
Et sutor bonus et solus formosus et est rex,  
Cur optas quod habes?<sup>2)</sup>

Dum igitur poeta ostendere vult, illud vere vitae condicionibus non respondere, ut quis ea re sit doctus, quam non didicerit, ex industria sutorium profert opificium, quod calleat omnis sapiens: et, quo ineptius insulsiusque hoc idem paradoxon appareat, adicit: et regem esse sapientem. Quod si haec coniunctio ipsa et eorum quae sutoris sunt et quae regem efficiunt tamquam nugatoria apparere debet, tum prorsus secum pugnat, quod Stoicus ille, qui iam per se rex sit, dicit: si regnum sibi permetteretur, id est, si ipse rex crearetur, certe futurum esse, ut aequae gravi poena magna scelera atque parva vitia plecteret.<sup>3)</sup>

Simili modo aliud paradoxon ad sales transfert et facete pervellit, quod est: solum sapientem, videlicet Stoicum, sapere et proinde sanae esse mentis, cum omnes alii homines, utpote qui sapientia destituti sint, insaniant. Etenim Stertinium quendam, asseclam Stoicae philosophiae inducit poeta, hominem cetera nobis prorsus ignotum, ut ille graviter in omnis generis morum pravitatem invehitur.<sup>4)</sup> Neque tamen hic sapientiae Stoicae doctor ipse sua profert praecepta, sed discipulo nuperrime adaptato, Damasippo quodam, vicario utitur. Hic, mercator quondam atque in coemendis hortis praediisque et praecipue iis artificiosis operibus, quorum origo a vetusta antiquitate repetebatur, plurime versatus, cum in his similibusque rebus conquirendis, vendendis, mutandis universam rem familiarem perdidisset, eo desperationis venerat, ut vitae abiciendae consi-

<sup>1)</sup> Diog. VII, 131. Stob. Eclog. II, 186. 222. Plut. de Stoic. rep. 13, 9. Cic. Lael. 18, 65, ubi Cicero Laelium stoica disciplina imbutum haec loquentem facit: Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Ibid. 11, 37. cum conciliatrix virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. Esse autem hoc loco bonum eundem atque sapientem aperte dicitur l. l. 18, 65: Est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, etc. Cfr. Stob. Eclog. II, 106. 224. 228. Diog. VII, 121 sqq. 130. Plut. de Stoicor. repugn. 2 sqq.

<sup>2)</sup> Sat. I, 3, 124 sqq.

<sup>3)</sup> Ibid. 3, 120 sqq.

<sup>4)</sup> Sat. II, 3.

lio capto de ponte in Tiberim se deicere vellet. Ibi vero, quod magnum foret philosophiae Stoicae emolumentum, a Stertino illo Stoico et unice philosopho seu sapiente conservatus atque sic in grege patris Chrysippi adnumeratus est. Qui quam vehementer fervideque novam arripuerit condicionem quamque docilem discipulum magistri Stertini eiusdemque novae vitae suae auctoris se ostenderit, argumento est haec ipsa Horatii satira. Nam cum poeta Saturnalibus Romae celebratis ingentem strepitum molestiasque epularum vitaturus urbe relicta in villam Sabinam aufugisset ibique aliquantum temporis vitam tranquillam et otiosam ageret, irrumpit ad eum novissimus hic Stoicae sapientiae pedisequus et vehementer ei otium et inertiam exprobrat. Quem cum Horatius miratus interrogat, unde homini tanta sit suae condicionis cura, comperit, Damasippo omni re familiari amissa nihil esse antiquius, quam aliena curare negotia. Quae cura qualis sit, apparet mox ex ipsius aretalogi verbis:

O bone, ne te

Frustrere: insanis et tu, stultique prope omnes.<sup>1)</sup>

Et paulo post:

Quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri  
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex  
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges,  
Excepto sapiente, tenet<sup>2)</sup>

Deinde a Stertino arreptam doctrinam explicans varias recenset hominum cupiditates et vere sapientis severitatem misere affectans cum fastu ridiculo provocat:

huc propius me.

Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.<sup>3)</sup>

Tum iam ex ordine demonstrat: avaros,<sup>4)</sup> ambitiosos et audaces,<sup>5)</sup> luxuriosos,<sup>6)</sup> amoribus deditos,<sup>7)</sup> superstitiosos<sup>8)</sup> prorsus insanos esse atque concussae mentis.

Neque poeta ipse, quamvis sibi sanus videri aveat, excipitur ex multifario hoc insanorum numero. Damasippus enim neque illi parcere vult neque pro sapientia sua et qua imbutus est virtute parcere potest. Dum igitur recensendis variis poetae vitiis probare studet, eundem ceteris omnibus parem ac proinde insanum esse, hic miserum statum suum agnoscens ita verborum castigationem praecidit, ut dictis: »O maior tandem parcas, insane, minori«<sup>9)</sup> ferventi aretalogi se tantummodo insania ab eo superari concedat

<sup>1)</sup> Sat. II, 3, 31 sq.

<sup>2)</sup> Ibid. v. 43 sqq.

<sup>3)</sup> Ibid. v. 80 sqq.

<sup>4)</sup> Ibid. vv. (82—160).

<sup>5)</sup> Ibid. vv. (161—223).

<sup>6)</sup> Ibid. vv. (224—246).

<sup>7)</sup> Ibid. vv. (247—280).

<sup>8)</sup> Ibid. vv. (281—295).

<sup>9)</sup> Ibid. v. 326.

Quanti igitur aestimet Horatius hanc aretalogi sollertiam vehementisque eiusdem studium in alienis vitiis exprobrandis atque Stoicorum sapientia extollenda, cum ex festiva poetae optione, ut dii boni deaeque sedulum doctorem tonsore donent,<sup>1)</sup> perspicuum est, tum ex iis verbis, quibus totus sermo cum virtutis magistro habitus clauditur. Inde enim evidens est, irrideri ab Horatio modum atque rationem, qua Stoici, in quibus Stertinius, sapientum octavus,<sup>2)</sup> in vitia atque imbellicitates humanas proterve irruebant et omisso omni delectu ac discrimine insaniae condemnabant universos, cum ipsi, abiectae plerumque condicionis homines, praeter hirsutam barbam, non parvae gravitatis baculum et sordidum lacerumque sagulum nulla re nullaque animi indole excellerent, nedum alios superarent.

Haud ita dispari modo Davus, Horatii servus, Stoicam sapientiam a Crispini aretalogi ianitore edoctus atque ob hanc opinatam sapientiam mirum quantum superbia inflatus, domino suo libertate Saturnaliorum usus demonstrat, illum ceterorum plerumque similem, sibi vel maxime non constantem variisque cupiditatibus devinctum, in condicione longe inferiore servitutis versari, quam ipsum, qui eius servus sit.<sup>3)</sup> Etenim qui malis pravisque cupiditatibus deditus sit, ex mulierculis pendeat libidosus,<sup>4)</sup> qui inepte consuetudines moresque saeculi persequatur anxieque imitetur,<sup>5)</sup> qui gulae temperare nequeat, imo praedia vendat, ut ventri pareat.<sup>6)</sup> denique qui tanta sit mobilitate ingenii atque inconstantia, ut modo huc modo illuc rapiatur erretque, eum liberum essa non posse.<sup>7)</sup> Quam sapientis servi sermocinationem ut praecideret poeta, lapidem unde arriperet aut sagittas, circumspemat.

Aliud paradoxon Stoicorum: nihil esse medii inter virtutem et vitium, seu non dari quasi per gradus procedentem transitum a vitio ad virtutem ita ut, ubi una sit virtus, ibi ceteras omnes, ubi vero unum vitium, ibi cetera omnia esse oporteat.<sup>8)</sup> Horatius Sat. I, 3. ita aggreditur ut dicat, prorsus necessariam esse in vita humana bonam veniam consentaneumque, ut de vitiis erroribusque alienis benigne iudicemus neve admodum severi simus in sententia ferenda, cum indulgentia ipsi carere non possimus. Qui igitur suis ut indulgeatur vitiis velit, hunc libenter vitiis aliorum veniam dare oportere,<sup>9)</sup> quandoquidem sine vitiis nemo nascatur.<sup>10)</sup> Quod si Stoici contendant, paria esse peccata,<sup>11)</sup> et proinde omnia aequae severe esse

1) Ibid. v. 16 sq.

2) Ibid. v. 296.

3) Sat. II, 7, 75 sqq.

4) Ibid. v. 90 sq.

5) Ibid. v. 95 sq.

6) Ibid. v. 110 sq.

7) Ibid. vv. 111—115.

8) Diog. Laert. VII, 1, 120: ἀρέσκει τ' αὐτοῖς ἴσα ἡγεῖσθαι τὰ ἀμαρτήματα, καθά φησι Χρῆσιππος.

9) Sat. I, 3, 73 sqq.

10) Ibid. v. 68.

11) Ibid. v. 96. Cic. Acad. II, 43, 133.

punienda,<sup>1)</sup> repugnat hoc. docet poeta, communi hominum sensui moribusque et naturae ipsi atque adeo utilitati, quam matrem iusti verique nuncupari necesse sit.<sup>2)</sup>

Horatium de Stoicorum dogmatibus non dixerim prorsus contemptum attamen parum honorifice iudicare, etiam inde manifestum esse videtur, quod gravia, imo maximi momenti praecepta eorum a personis scurrilibus atque vilibus proferri iubet. Eius generis est Damasippus ille et Davus, iam nobis cogniti; quorum hic sapientiam suam a Crispini ianitore aucupatus ne cogitat quidem, quin meliora edoctus commodis aliorum consulat miserrimum eorum statum in lucem protrahens atque ob oculos ponens, ille, cui antea nihil cum philosophia erat commune quique fortunis demum omnibus eversus subito ex naufragio in sapientiae Stoicae portum delatus est, praecepta huius sapientiae eo arrogantius atque importunius praedicat et raucis crepat faucibus, quo levius iisdem imbutus est, quippe quum tam brevi tempore vix eadem attingere atque primis, ut dicitur, labris gustare potuerit,

Sic etiam videre licet, nusquam Horatium in Satiris Stoici ullius mentionem facere, nisi cum despicientia quadam et cavillatione Fabium Stoicum nimirum loquacem appellat Sat. I. 1. 13. et quantopere hunc sapientem virtutisque propugnatorem vilipendat, patet ex Sat. I, 2, 133. ubi poeta in re nequaquam honesta ad illius arbitrium provocat, qui tamen temperantiam, pudicitiam omnisque generis virtutes praedicans in adulterio esset deprehensus. Et dum Sat. I. 1 illudit poeta illi hominum inconstantiae, quod sua sorte non contenti semper fortunam accusent suam atque nova acti cupidine modo has modo illas res appetant. media inter avaritiam et luxuriam commendata via concludit satiram acri in Crispinum dicto:

Ne me Crispini scrinia lippi

Compilasse putes, verbum non amplius addam.<sup>3)</sup>

Hic salsa fit mentio insulso Crispini carminum, quibus praecepta Stoica tractaverat et exposuerat. Praeterea lippitudinem Horatii eidem non sine irrisione obicit, qui morbus, plerumque intemperatae atque turpis vitae documentum, non minus ad oculorum quam mentis imbecillitatem refertur, et apud antiquos non tam miserationem movebat, quam potius derisui erat.

Denique Horatius eundem ut vaniloquum imbecillique ingenii et agrestis iudicii hominem describit Sat. I, 4, 14 sqq. Ille enim solertem se poetam esse putans provocat nostrum »minimo«, asseverans

<sup>1)</sup> Ibid. vv. 115 sqq.

<sup>2)</sup> Ibid. v. 97 sqq. Cic. pro Mur. 29, 60. doctrina (Zenonis) non moderata nec mitis, sed, ut mihi videtur, paulo asperior et durior, quam aut veritas aut natura patitur. Fin. IV, 19, 55. Quae secuntur igitur? Omnes, qui non sint sapientes, aequae misero sesse, sapientes omnes summe beatos, recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria. Quae cum magnifice primo dici viderentur, considerata minus probantur. Sensus enim cuiusque et natura rerum atque ipsa veritas clamabat quodammodo non posse adduci, ut inter casus res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset. Cfr. Diog. X, 36.

<sup>3)</sup> Sat. I, 1, 120 sq.

se aequo temporis spatio utrique praescripto multo plures versus conscripturum esse quam Horatium. Hunc eundem deridet quoque poeta Sat. I, 3, 139 et Sat. II, 7, 45. Stertinium Stoicum acerbe sapientum octavum nuncupat<sup>1)</sup> eumque, non sine aculeo, iuxta Empodoclem illum physicum qui mundi originem a quattuor elementis adhibita concordia et discordia repetit, ut gravem quendam Stoicae doctrinae auctorem inducit, sane contraria statuentem, utpote qui doceat, omnes vicissitudines et mutationes in universa rerum natura divina mente animoque effici.<sup>2)</sup> Sed festivitas poetae inde vel maxime apparet, quod Stertinio »delirans acumen« addicit.<sup>3)</sup>

Quod Horatius saepenumero Stoicis non parcat, imo acerbe eosdem appetit et multis partibus graviter carpit, non est quod miremur. Etenim in vitam quotidianam illius temporis inquiringibus nobis conspicuum est. fuisse Romae multos, qui Stoicae sectae addicti, gravia huius disciplinae praecepta iactantes atque belle de virtutibus sermoeinantes ita se gerebant vivebantque, ut eorum mores totaque agendi ratio iis, quae ex Stoicorum schola crepabant, dogmatibus prorsus repugnarent. Exemplo est Fabius, quem iam commemoravimus, cui Horatius notam hominis male morati haud ambigue apponit.<sup>4)</sup> Certe hic eiusque similes de eadem erant grege atque illi, de quibus Corn. Nepos, »video«, inquit, »magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.«<sup>5)</sup>

Eiusmodi homines igitur, cum variis vitae infortuniis et inopia conflictati in portum Stoicae sectae delati essent, magnam ex praedjudicata sapientia arrogantiam sibi sumebant, ceteros pro insanis habentes despiciebant et, desiderarentne an recusarent doctores, parum solliciti, imperiose accientes eosdem, tamquam pueros sibi edocendos esse censebant.<sup>6)</sup>

Pugnat denique haec Stoicorum sapientia, quam imaginabantur, cum modestia et morum simplicitate cum Socratis tum ipsius Zenonis patris, qua, si veri erant eius sectatores, excellere eos oportebat: qui tamen spiritus intollerandos sibi sumentes fastuosi per ora omnium incedebant, ignari affabilitatis illius, qua exornatum Zenonem fuisse veteres memoriae prodiderunt.<sup>7)</sup> Postremo nota est eorundem hominum aviditas lucri faciendi nec minus ars parasitica divitibus adulandi seseque ad mensas eorum alendi. Quid autem de sordido eorum neglectoque habitu, imprimis barba promissa hispidaque et pallio squa-

1) Sat. II, 3, 296.

2) Epist. I, 12, 20.

3) l. l.

4) Sat. I, 2, 134.

5) Corn. Nep. apud Lact. Inst. III, 15, 10.

6) Cfr. Sat. II, 3, 80 sq.

7) Diog. VII, 10. *τοὺς εἰς σύσιασιν αὐτῶ τῶν νέων πορευομένους παρακαλῶν ἐπ' ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην παρώρμα πρὸς τὰ βέλιστα παράδειγμα τὸν ἴδιον βίον ἐκδείξαι ἅπασιν, ἀκόλουτον ὄντα τοῖς λόγοις οἷς διελέγετο.* Cfr. *ibid.* VII, 6. et VII, 29.

lido atque plerumque pannoso dicendum sit, cuique perspicuum est <sup>1)</sup> Ex quo fiebat, ut philosophi isti in triviis aliisque locis publicis ansam pueris iocandi ac ludificandi praeberent neque contra eorum lasciviam et procacitatem nisi fustibus se protegere possent. Unde Horatius Sat. I, 3, 133 sqq.

Vellunt tibi barbam.

Lascivi pueri, quos tu nisi fuste coerces,  
Urgueris turba circum te stante miserque  
Rumperis et latras, magnorum maxime regum.

Stoicorum scripta in lectulo vetulae meretricis repositos commemorat idem Epod. 8, 15 sq.

Quid? quod libelli stoici inter sericos  
Iacere pulvillos amant?

Namque manifestum inde esse videtur, doctores illos virtutis summaeque decentiae praeceptores a convictu et consuetudine cum eius generis feminis non abhorruisse.

Oblique loquacitatem Stoicorum perstringere atque carpere videtur poeta Sat. I, 9, 33 sqq. Hunc enim aliquando in via importunus quidam et loquax homo adoritur eiusque lateri affixus adeo fit molestus, ut poeta, qui nullis ambagibus ab homine isto liberari potuit, veteris praesagii, quod ex Sabella anu puer etiam audivisset, recordatus iam sibi finem instare putaret. Illam enim praedixisse narrat, se nullò neque morbo neque hostium telo exitum vitae habiturum, sed fore ut a garrulo quodam interimeretur. A talibus hominibus igitur, ait, sibi cavendum esse, iam tum a praesaga illa anicula se praemonitum fuisse:

Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,  
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.<sup>2)</sup>

Quos satirae aculeos illuc referri posse eo magis affirmare licet, quod Stoici aequè omnibus rebus se institutos autumabant, atque hic garrulus ipse. Qui doctum se esse iactans praecipuas suas virtutes non aliter enumerat<sup>3)</sup> ac Stoici suas ostentare aliisque loquaciter praedicare solebant. Praeterea hac eadem satira divinationem quoque, quam subsistere omnem aiebant docebantque Stoici,<sup>4)</sup> despiciere se et pro nihilo habere perspicue quamvis iocose ostendit poeta.

Etiam Sat. II, 5, irrisiōnem doctrinae Stoicae de virtute et constantia sapientis, eamque haut ita occultam contineri putaverim. Namque Ulixes, qui certe exemplar prudentiae et constantiae sapientis Stoici haberi potest, ad Tiresiam, a quo edoceri vult, quonam

<sup>1)</sup> Gell. Noctt. Att. XIII, 8, 5. Horat. Sat. II, 3, 35.

<sup>2)</sup> Hort. l. l.

<sup>3)</sup> l. l. vv. 23—25.

<sup>4)</sup> Diog. VII, 1, 149. *καὶ μὴν καὶ μαντικὴν ὑφεισθάναι πᾶσάν φασι* (οἱ Στωικοί).

modo rem suam familiarem, valde devastatam et imminutam, reparare possit, haec dicit:

O nulli quicquam mentite, vides ut  
Nudus inopsque domum redeam te vate, nec illic  
Aut apotheca procis intacta est aut pecus: atqui  
Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est.<sup>1)</sup>

Tiresias autem ad alia praecepta Ulixi data adicit hoc ultimum:  
»Persta atque obdura«. <sup>2)</sup>

Itaque cum ille virtutem, nisi cum lucro et commodis vitae conjuncta sit, non flocci aestimet, hic in omnibus modis rebusque, et quidem inhonestis et turpibus, quae ad illas commoditates opportunasque voluptates adipiscendas adhiberentur, constantiam et perseverantiam commendet, prorsus patere arbitror, stoicas virtutes non illaesas hinc evadere, quippe cum sententiam modo allatam fundamentum fuisse moralis Stoicorum philosophiae noverimus.<sup>3)</sup>

Hanc imaginem Stoicismi Satiris Horatii huc usque effictam si quis animo informaverit totamque uno quasi obtutu comprehenderit, fieri non poterit, quin confiteatur, esse eam deformem, ad derisum ductam, parum honorificam, omnino ita comparatam, ut neminem allidere, nedum ad studium sui rapere aut in animum se insinuare queat.

Attamen si quaerimus ulterius, utrum hoc iudicium fixum immotumque semper Horatio manserit, an ille ab eodem deflexerit fortasse et per tempus meliora edoctus mutaverit sententiam iudiciumque suum, reperimus, quod erat exspectandum a talis indolis talisque ingenii poeta. Namque rem longius pervestigantibus nobis altiusque in eam inquirentibus apparet primo, Horatium Stoicorum sapientiae sollester operam dedisse eamque tandem apprime cognitam habuisse. Hinc porro factum est, ut moralis gravitas atque adeo sanctitas quaedam, quibus doctrinae huius dogmata et praecepta excelebant, et per quae ipsa humana natura statusque omnis atque condicio generis humani longe aliter quam apud Epicureos effingebatur et nobilitabatur, agilem navumque et omnis boni honestique sensu praeditum poetae animum ceperit ipsique probata sit.

Ex quo effectum est, ut cavillatio et acerbi aculei magis magisque cessarent inque eorum locum favor et benevolentia succederent, ita, ut Horatium paulatim contra Stoicos eorumque sapientiae praecepta pugnare ipsisque adversari desinere videamus.

Quin etiam maiore cum continentia et aequitate in diiudicanda Stoica doctrina procedentem non modo laudem ei non detrudere amplius poetam comperimus, sed plura quoque in dies ex eadem assumere atque in rem suam convertere deprehendimus. Sic iam non-

1) Horat. l. 1 vv. 5—8.

2) Ibid. v. 39.

3) Gell. Noctt. Att. XVII, 19 fin. Itaque, inquit Epictetus, si quis haec duo verba cordi habeat eaque sibi imperando atque observando caret, is erit pleraque impeccabilis, vitamque vivet tranquillissimam. Verba haec duo dicebat: *ἄνέχου καὶ ἀπέχου*. Cfr. Ovid. Trist. V, 11, 7. Perfer et obdura! Multo graviora tulisti.

nullis ipsarum Satirarum locis, ubi praecepta Stoicorum recenset, non obscure significat, se iis non contradicere, imo eadem atque illos sentientem potius in partibus eorum stare.

Haec sententia iam Sat. II, 3. probari videtur. Ibi enim Damasippus dicit, se olim operum arte perfectarum studiosissimum fuisse et tum signis grande pretium imponere tum hortos domosque cum magno lucro mercari calluisse, nunc autem res alienas curare deperditis omnibus suis. Ad haec Horatius serio atque ex animo, mirari se, ait, illum tali morbo tamque inveterato iam esse liberatum.<sup>1)</sup> Quo Satirae loco poeta cum Stoicis consentiens Damasippi illud vitiosum studium, quo antea laborabat, ita morbum appellat, ut illi omnes animi motus graviore, quibus tranquillitas hominis status perturbatur et mens vehementius agitur, morbos appellabant.<sup>2)</sup>

Item observatum velim, haud parvi momenti esse, paradoxon Stoicorum Sat. II, 7 obvium, a poeta neque oppugnari neque reici ita, ut stante sententia a Davo prolata:

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus,<sup>3)</sup>  
stet necesse est Stoicorum illud: *ὅτι μόνος ὁσοφὸς ἐλεύθερος.*

Itaque affirmari non potest, Horatium ipsi huic sententiae illudere, cum potius hoc ipsum paradoxon poetae probatum acceptumque esse videatur, etsi procaci servo ad dominum castigandum corripiendumque usurpatum. Etenim alia insuper contumelia a servo offusus, videlicet »aut insanit homo aut versus facit.«<sup>4)</sup> dicente, gravi poena eum ob hanc impudentem arrogantiam affecisset: at ille minatus solum facile incolumem dimittit.

Ludificatur ergo poeta irridetque fastum atque arrogantiam eorum, qui doctrinam Stoicorum prae se ferentes, simiae sapientum, se solos pro liberis habebant, ceteros omnes servos esse arbitantes, quamvis ipsi homines essent infimae condicionis abiectique animi, servo huic Davo vel Crispini illius ianitori consimiles. Proinde cum effatum illud verae sapientiae eiusmodi homines neque vita sua neque agendi versandique ratione probare commendareque possent, quippe qui potius illi derogarent, merito propter hanc opinatam sapientiam virtutisque ostentationem ab Horatio vapulant, salvo integroque paradoxo ipso.

Propensa tamen haec in Stoicismum voluntas Horatii multo magis eminet ex Carminibus, deinde ex Epistulis vel maxime. Nam in Satiris observavimus, eum paradoxa Stoicorum plerumque irridere eademque malitiose carpere, at ex Carm. II, 2. praecipue autem ex iis, quae strophæ ultima praecedentique panguntur, sequitur, ut pa-

<sup>1)</sup> Sat. II, 3, 27.

<sup>2)</sup> Cic. Tuscul. IV, 10, 23. Quem ad modum — in corpore morbi aegrotationesque nascuntur, sic pravarum opinionum conturbatio et ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliatur animum morbisque perturbat. Ex perturbationibus autem — morbi conficiuntur, quae vocantur illi (Stoici) *νοσήματα*. maxime a Chrysippo morbis corporum comparatur morborum animi similitudo. Cfr. ibid. III, 5, 11. Diog. VII, 2, 115.

<sup>3)</sup> Ibid. v. 83.

<sup>4)</sup> Ibid. v. 117.



radoxon: solum sapientem esse divitem, *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος*, poetae prorsus probetur. Idem hoc iudicium patet quoque ex Carm. IV, 9, 45 sqq.<sup>1)</sup>

Sat. I, 3, 125 cavillatur ille quidem in paradoxo: sapientem esse regem,<sup>2)</sup> verumtamen Epist. I, 1, 107. ubi Maecenati persuadere eumque edocere studet, sibi, cum proveciore iam sit aetate, iuveniliter agere, id est, carmina pangere, non convenire, ad vitam autem tranquille, aequabiliter faciliterque agendam studium philosophiae maxime esse necessarium: hic igitur, ubi longe se distare atque prorsus alienum esse ab eo homine, demonstrat, quem animus sibi constans prudensque deceat: ad summam Epistulae, tamquam fructum sapientiae ex philosophiae studio perceptae<sup>3)</sup> adicit:

sapiens uno minor est Jove, dives,  
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum<sup>4)</sup>.

Quod si hoc iudicium in Epistula ad Maecenatem sibi amicissimum mittit iocosa addita conclusiuncula, ex eo tantummodo efficitur, poetam severitatem et crassum rigorem Stoicorum non agnoscere, nequaquam autem negare, solum sapientem beatum atque felicem esse: et quamquam haec felicitas tam perfecta esse nequeat, quam Stoici eam esse autem sibi arrogent, tamen fatendum esse, longe eam esse superiorem excelsioremque prae illa quotidiana, humili, nulliusque veri pretii felicitate, quam homines divitiis, honoribus, eximia corporis pulchritudine, summis magistratibus adipiscendis sibi comparare posse putent.

Hinc veritatis fide, quam paradoxon continet, plene servata atque agnita, ut illud, quod vitiosum et insolens est, quippe in maius per Stoicos auctum, quam humana patiatur natura, removeret atque excluderet, addit poeta iocose: »Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.«<sup>5)</sup> Namque eam esse poetae veram opinionem, quod ad Stoicorum sententiam attinet, manifestum fit primum ex illo loco eiusdem Epistulae, ubi edocemur, quanti Horatius studium sapientiae aestimaverit et quantopere tum temporis in illam solam incumbere cupiverit, cum dicat:

Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono:  
Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum;  
Condo et compono quae mox depromere possim<sup>6)</sup>

Et ulterius:

— mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem

<sup>1)</sup> Cfr. Cic. Parad. VI.

<sup>2)</sup> Diog. VII, 1, 122.

<sup>3)</sup> Cfr. Epist. I. 1. vv. 10 sqq.

<sup>4)</sup> Ibid. vv. 106 sqq. Diog. V, 1, 88, 119, 122.

<sup>5)</sup> Epist. I. 1, 108.

<sup>6)</sup> Ibid. v. 10 sqq.

Consiliumque morantur agendi naviter id quod  
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,  
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.<sup>1)</sup>

Idem exprimit deinde Carm. IV, 9, 39 sqq. asseverans, animum prudentem et secundis dubiisque in rebus rectum semper esse consulem. Idem denique Epist. I, 1, 59 sqq.

»rex eris« —

»Si recte facies«. Hic murus aeneus esto:  
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Attamen hoc idem docent Stoici,<sup>2)</sup> scilicet, recte factorum solum sapientem esse capacem.

Sat. II, 2, 79 animum humanum divinae aurae particulam appellat. Quod cum doctrina Stoicorum prorsus convenit docentium, purissimam ac liquidissimam aetheris partem esse deum, sensibili quasi modo per ea, quae sunt in aere et per cunctos animantes atque arbores diffusum; praeterea mundum esse deum et spirans animal esse mundum, cuius nostra anima veluti avulsula pars sit.<sup>3)</sup>

(Quo tempore Horatius Satiris conscribendis operam dabat, de diis eorumque vi et numine in mundo rebusque universi generis humani gubernandis efficaci atque praesenti Epicureorum sequebatur probabatque opinionem,<sup>4)</sup> at in Epistulis diversum iudicium de iisdem comproba-

<sup>1)</sup> Ibid v. 23 sqq.

<sup>2)</sup> Sen. Epist. 75 fin. Non cupiditas nos non timor pellet: inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec deos: scimus mortem malum non esse, deos malos non esse. Tam imbecillum est quod nocet, quam cui nocetur; optima vi noxia carent. Expectant nos, si ex hac aliquando faece in illud evadimus sublime et excelsum, tranquillitas animi, et expulsis erroribus absoluta libertas. Quaeris, quae sit ista? non homines timere, non deos: nec turpia velle, nec nimia: in se ipsum habere maximam potestatem. Inaestimabile bonum est, quam fieri. Stob. Ecl. II, p. 232 sqq. Diog. VII, 125.

<sup>3)</sup> Diog. VII, 139. οὕτω δὲ καὶ τὸν ὄλον κόσμον ζῶν ὄντα (λέγουσι) καὶ ἔμψυχον καὶ λογικὸν ἔχειν ἡγεμονικὸν μὲν τὸν αἰθέρα — et ibid. 143 ζῶν ἄρ' ὁ κόσμος ἔμψυχον δὲ ὡς δῆλον ἐκ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ἐκείθεν οὐσης ἀποσπάσματος. Cfr. ibid. 137, 148. Tuscul. V, 13, 38. Humanus — animus decerptus ex mente divina cum alio nullo nisi cum ipso deo — comparari potest De divinat. I, 49, 110. Cat. m. 21, 78.

<sup>4)</sup> Quae qualis fuerit, comperimus ex Diog. L. X, 123. Πρῶτον μὲν τὸν θεὸν ζῶν ἄφθαρτον καὶ μακάριον νομιζῶν (ὁ Ἐπίκουρος), ὡς ἡ κοινὴ τοῦ θεοῦ νόησις ὑπεγράφη, μηδὲν μῆτε τῆς ἀφθαρσίας ἀλλότριον μῆτε τῆς μακαριότητος ἀνοίκειον αὐτῷ πρόσσπιε. Ibid. 139. Τὸ μακάριον καὶ ἀφθαρτικὸν οὐτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὐτε ἄλλω παρέχει, ὥστε οὐτε δογαῖς οὐτε χάρισι συνέχεται ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον. Cic. de Nat. D. I, 17, 45 vere exposita illa sententia est ab Epicuro, quod beatum aeternumque sit, id nec habere ipsum negotii quicquam nec exhibere alteri, itaque neque ira neque gratia teneri, quod quae talia essent imbecilla essent omnia. — intellegitur enim a beata immortalique natura et iram et gratiam segregari, quibus remotis nullos a superis impendere metus. Ibid. 19, 50 sqq. Et quaerere a nobis (dicit Velleius Epicureus), Balbe (Stoicus hic erat), soletis, quae vita deorum sit quaeque ab iis degatur aetas, Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest; nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia et virtute gaudet, habet exploratum fore se

tum reperimus. Ex his enim haud ambigue cognoscimus, Horatium persuasum habere deos esse et mundum ab iis gubernari et hominum sortes ab iisdem curae haberi. Hortatur enim Bullatium Epist. I, 11, 22 sq.:

Tu, quaecumque deus tibi fortunaverit horam,  
Grata sume manu neu dulcia differ in annum.

Epist. I, 18, 107 sq.

Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, et mihi vivam  
Quod super est aevi, si quid superesse volunt di.

Epist. I, 4, 6 sq.

Di tibi formam,  
Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.

Epist. I, 16, 78.

Ipse deus, simulatque volam, me solvet.

Ex quibus manifestum fit, poetae persuasum esse, et vitam hominis et fortunam eius ex deorum voluntate pendere et ab iis terminari.

Epist. I, 18, 111 sq.

Sed satis est orare Iovem, quae ponit et aufert:  
Det vitam, det opes; aequum mi animum ipse parabo.

Itaque si homo prudenter agit, id est si bona copia librorum, quam exoptat poeta v. 109 sq. adiutus sapientiae studet eamque sequitur, ipse sibi aequum animum parare potest, illa ab Iove sunt exoranda. Est autem haec sapientia, qua aequus animus paratur, eadem quae Epist. I. 16, 73 sqq. verbis extollitur. Hac enim firmatus corroboratusque animus sapientis aequus constansque sibi est semper et neque ullis spoliationibus aut damnis illatis neque minis iactatis perterretur. Intellegi hic autem constantiam firmitatemque sapientis Stoici, non est, quod moneamus.

Iam ex hisce liquet, poetae animum liberum esse ab illa diffidentia et negligentia, quam doctrina Epicureorum imbutus iuvenili aetate prae se ferebat et parvum deorum cultorem atque infrequentem sese confitebatur.<sup>1)</sup> Hanc igitur sententiam, quam prioribus an-

---

semper cum in maximis, tum in aeternis voluptatibus. Hunc deum rite beatum dixerimus, vestrum vero laboriosissimum. Sive enim ipse mundus deus est, quid potest esse minus quietum quam nullo puncto temporis intermisso versari circum axem caeli admirabili celeritate? nisi quietum autem nihil beatum est: sive in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservet, terras et maria contemplans hominum commoda vitasque tueatur, ne ille est implicatus molestis negotiis et operosis! Nos autem beatam vitam in animi securitate et in omnium vacatione munerum ponimus. Ibid. 20, 54 inposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus; quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem et omnia ad se pertinere putantem curiosum et plenum negotii deum? — Et ibid. 56. His terroribus ab Epicuro soluti et in libertatem vindicati nec metuimus eos, quos intellegimus nec sibi fingere ullam molestiam nec alteri quaerere.

<sup>1)</sup> Carm I, 34.

nis procaci quadam actus libertate amplexus erat quamque etiam Sat. I, 5, 101 sqq. expresserat:

— namque deos didici securum agere aevum,  
Nec, siquid miri faciat natura, deos id  
Tristes ex alto caeli demittere tecto:

cum divinam mentem cum in fatis generis humani tum in rerum natura conspicuam apertamque intellexisset, iam reicit et virili, imo provectiore aetate revertitur ad eam de cura providentiaque divina persuasionem, quam his, quos attulimus, aliisque Epistularum locis manifestam facit

Neque pugnant cum his, quae Epist. I, 6, 3 sqq. et Epist. II, 2, 208 sq. legimus. Nam Horatius ad priscam illam fidem, quam de mundi sortisque humanae ex deorum gubernatione dependentis Stoici praedicabant, ita revertitur, ut neque corpora caelestia pro diis habeat neque ea, quae in rerum natura fiunt, nisi naturalibus ex causis fieri putet. Hic itaque eadem sentit, quae Sat. I, 5, 97 sqq. professus est. Simili modo Sat. II, 3, 288 sqq. timorem deorum false animo conceptum praveque accommodatum, id est superstitionem irridet in eo, quod, ubi naturalia media opitulentur, mater insana superstitionosa agendi ratione pessumdet puerum. Idem valet de supersticioso illo libertino eiusque similibus, nam:

— Hoc quoque vulgus  
Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.<sup>1)</sup>

Adamavit igitur Horatius, quod iam supra observavimus, provectiore aetate moralem illam Stoicorum gravitatem et auctoritatem, quae ex eorum doctrina de virtute, de humani generis dignitate, de deorum omnia nutu suo regentium potestate sequebatur. Animo videlicet iam magis magisque in se converso et tranquilla mente clarius in dies omnia in semet ipso atque extra se posita perlustranti et diiudicanti non sufficiebat amplius hilaris illa quidem sed tamen levis parumque accurata, quippe per superficiem vagans neque in rerum naturam inquirendo altius descendens philosophia Epicureorum. Quae quidem iuveni placere eumque capere poterat, viro tamen sufficere nequiverat. Quamobrem illud quoque Stoicae disciplinae exemplar Romanaeque virtutis effigiem, Catonem dico, omni laude extollit Epist. I, 19, 12. sqq.

Quid? si quis voltu torvo ferus et pede nudo  
Exiguaeque togae simulet textore Catonem,  
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

Etiamsi, ait, omnem quis severitatem vitaeque austeritatem praese ferat extrinsecus Catonem imitans, nequaquam illum tamen virtutem quoque et mores Catonis repraesentare iisque excellere posse.

<sup>1)</sup> Sat. II, 3, 286 sq.

Quae Horatii laus hic aliisque locis<sup>1)</sup> Catoni impertita prorsus iis respondet, quae apud Ciceronem legimus: »Differentia naturarum tantam habet vim, ut non nunquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius non debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui ceteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod lenior eorum vita et mores fuerant faciliores: Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roboravisset semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potius quam tyranni vultus aspi-ciendus fuit.«<sup>2)</sup>

Neque sibi deest Horatius, quin doctores Stoicae philosophiae ipsos celebret nominatim. Sic Panaetium nobilem vocat<sup>3)</sup> et Chrysippum iuxta Crantorem, veterem Academicum, cum Troiani belli scriptore, id est cum poeta Graecorum longe celeberrimo comparat. Et quamvis dicat:

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,  
Plinius ac melius Chrysippo et Crantore dicit:<sup>4)</sup>

nihilo minus tamen clare elucet, poetam scriptis Chrysippi per-vestigandis evolvendisque multum tribuere ad ea eruenda ediscenda-que, quae ad vitam candidam, honestam verumque pretium in se habentem conferant. At homini adulescenti, qualis erat Lollius, Homerum potius commendat, qui intellectu facilior, utpote qui mirum in modum misceat utile dulci, aptiorem magisque idoneum ducem ad rectam intellegentiam animique culturam praecipue adolescentibus se praestat, quam vel doctissimorum philosophorum libri.

Quanta laude autem Crantor dignus fuerit, apparet ex Cicerone, qui libellum eius aureolum dicit.<sup>5)</sup> Cum igitur Horatius Chrysippum secundum Crantorem ponat, haud minoris hunc ei aestimatum esse quam illum patet.

Magnam auctoritatem gravitatemque Chrysippi agnoscere a poeta probarique apparet etiam ex Sat. I, 3, 127. et II, 3, 44. 287. ubi eum caput Stoicae sectae appellat habetque, prorsus nulla cum malitia aut irrisione, sed illud certe cogitans, quod apud Diogenem Laertium legimus: *εἰ μὴ ἦν Χρῦσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στωά.*<sup>6)</sup>

1) Carm. I, 12, 35 sq. II, 1 21. sqq.

2) Off. I, 31, 112.

3) Carm. I, 29, 13. sq.

4) Epist. I, 2, 3 sq.

5) Cic. Acad. II, 44, 135. Legimus omnes Crantoris, veteris Academici, de luctu; est enim non magnus verum aureolus et ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus.

6) Diog. Laert. VII, 7, 183. Cic. Acad. II, 24, 75. Sed quid eos colligam, cum habeam Chrysippum, qui fulcire putatur porticum Stoicorum Cfr. Gell. Noct. VI, 2. Suid. s. v. *Χρῦσιππος*, Strab. XIII. p. 610.

Horatio plane persuasum erat, cives suos ex profunda, in quam demersi erant, morum depravatione, ex humili, in quam prolapsi erant, sentiendi agendique ratione, ad pristinam illam gravitatem, perseverantiam, temperantiam, iustitiam atque fidem etiam tum sese erigere et bonos beatosque esse posse; verumtamen perspectum habebat, hoc nisi animis excellendis et ad ea, quae vere bona honestaque essent, convertendis perducendisque fieri non posse. Qua re doctrinam Stoicam, quippe quae virtutem tamquam summum bonum uniceque expetendum prae se ferret, praedicaret, commendaret, maxime extollit, quum ei plurimum valere et maxima efficacissimaque adiumenta et auxilia bene beateque vivendi continere videretur, quae proinde ab ea petenda essent. Propterea Lucilium quoque laudat, quod esset

— »uni aequus virtuti atque eius amicis«<sup>1)</sup>.

Atque Epist. I, 1, 16 sq. ingenue profitetur, se doctrinam illam naviter persequi praeceptisque eius operam dare:

Nunc agilis fio et mersor, civilibus undis,  
Virtutis verae custos rigidusque satellites.<sup>2)</sup>

Ex quo hunc percepit fructum, ut perspiceret atque plane intellegeret, virtutem esse omnibus rebus longe praefereendam plurimique aestimandam.<sup>3)</sup>

Horatius cum vidisset, gravissimum vulnus temporis sui esse cupidinem habendi, qua correpti homines contempta paupertate omnia conabantur et in omnia ruebant scelera, dummodo divitias sibi compararent et pecunias coacervarent quam maximas, Stoicorum amplexus rationem docere studet cives suos, comprimendum esse spiritum aviditatis extirpandumque amorem sceleratum habendi, cum pecuniae nullus insit valor et regem esse eum, qui cupiditatem in dies plura possidendi domet atque supprimat.<sup>4)</sup>

Alio loco ad id animum advertit, quam bene beateque vivatur parvo quantumque illud omnibus aliis rebus praefereendum sit.<sup>5)</sup> Quod et Carmine eximie celebratur:

<sup>1)</sup> Sat. II, 1, 70.

<sup>2)</sup> Cfr. Cic. Off. I, 7, 22. Quoniam — ut placet Stoicis, quae in terris gignantur ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent, in hoc naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum. Fin. III, 20, 67. Praeclare Chrysippus, cetera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et societatis suae, ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine iniuria; quoniam ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet, qui id conservaret, eum iustum, qui migraret, iniustum fore. Cfr. Senec. ad Helv. 12. Nullum (fuisse servum) Zenoni a quo coepit Stoicorum rigida ac virilis sapientia satis constat.

<sup>3)</sup> Epist. I, 1, 52.

<sup>4)</sup> Sat. II, 3, 121 sqq. I, 4, 25 sq. I, 6, 68 sqq. II, 2, 53 sqq. II, 3, 82 sqq.

<sup>5)</sup> Sat. II, 2, 1 sqq.

Vivitur parvo bene, cui paternum  
 Splendet in mensa tenui salinum  
 Nec leves somnos timor aut éupido  
 Sordidus aufert<sup>1)</sup>)

Ubi autem perversus sentiendi modus Staberii affertur:

omnis enim res,  
 Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris  
 Divitiis parent; quas qui construxerit, ille  
 Clarus erit, fortis, iustus:<sup>2)</sup>)

-- hanc sententiam caecae avaritiae noster Stoicorum modo una tantum interrogatiuncula »sapiensne?« retundit atque evertit funditus<sup>3)</sup>).

Nam tantum abest ut, quod sequitur adversarii responsum:

»Etiam, et rex  
 Et quidquid volet«,<sup>4)</sup>)

veritati ipsi, quam Stoici tuentur, officiat, ut potius perversitatem insani illius illustret eamque tanto magis insanabilem esse demonstrat, quanto longius a cognitione verae sapientiae ipse distet.

Quare ex animo et impense admonet poeta Epist. I, 1. 65 sqq. ne eis aurem praebeamus, qui missa arduae viae virtutis rem facere suadeant, sed eos strenui sequamur, qui constantiam, libertatem, animum a fortuna non dependentem, imo erectum dignitatisque suae sibi conscium nobis instillare atque infundere studeant.<sup>5)</sup>)

Quibus si, quae Carminum quoque compluribus locis celebrata huc pertinent,<sup>6)</sup>) addiderimus, iam Horatium eximium laudatorem illius paradoxo Stoicorum confiteri non dubitabimus, quod est: solum sapientem esse divitem eundemque beatum, proin dignum, cui fortuna insigne regium deferat tutum laureaue exornet corona<sup>7)</sup>).

Neque vero aliam informaveris animo sapientis beatitudinem praeter eam, quam a poeta cantatam excipimus versibus:

Non possidentem multa vocaveris  
 Recte beatum: rectius occupat  
 Nomen beati, qui deorum  
 Muneribus sapienter uti  
 Duramque callet pauperiem pati  
 Peiusque leto flagitium timet,  
 Non ille pro caris amicis  
 Aut patria timidus perire.<sup>8)</sup>)

<sup>1)</sup> Carm. II, 16, 13 sqq.

<sup>2)</sup> Sat. II, 3, 94 sqq.

<sup>3)</sup> Ibid. v, 97.

<sup>4)</sup> Ibid. v, 97 sq.

<sup>5)</sup> Cfr. Epist. I, 16, 63 sqq.

<sup>6)</sup> Carm. III, 24, 1 sqq. 42 sqq. II, 2, 1 sqq. 9 sqq.

<sup>7)</sup> Carm. II, 2, 21 sqq.

<sup>8)</sup> Carm. IV, 9, 45 sqq. Cfr. III, 1, 25 sqq.

Jam satis superque demonstratum putamus, Horatium Stoicorum disciplinae praestantiam iam pridem cognovisse, cognitae favisse eamque in dies magis amplexum esse, denique provectiore aetate ita adamasse, ut eam longe alii praeponeret. Intellexerat enim planeque persuasum habuerat, huius sectae doctrinam eiusque praecepta unice idonea esse ad beatam vitam homini comparandam atque eam societatis humanae condicionem conficiendam et stabiliendam, quae una solaque digna esset genere humano. Hanc suam sententiam in Epistulis adeo manifestam fecit atque probavit, ut nemo infitias ire possit magnum interesse discrimen inter illa, quae permultis Satirarum locis de Stoicorum doctrina ab eo prolata reperimus atque ea, quae in Epistulis expressa legimus. Nihilominus tamen iisdem Epistularum locis edocemur, Horatium libertatem facultatemque de quavis re doctrinae suo modo cogitandi et iudicandi etiam nunc retinuisse. Etenim non ille sic Stoicorum gregi adnumerari vult, ut aliis, quarum antea studiosus erat, scholis philosophicis tergum obverteret aut talis ipse exstaret Stoicorum assectator, rigidus severusque, quales in Satiris effinxerat multos vel insulsissimorum paradoxorum serios laudatores et propugnatores.

Quare, si quis summum virtutis fastigium ascendere non possit, non esse desperandum docet neque adeo animum demittendum, sed contendendum pctius, ut aliquis saltem perfectionis honestatisque gradus nobis comparatus sit:

Non possis oculo quantum contendere Lynceus:  
 Non tamen idecirco contemnas lippus inungi,  
 Nec, quia desperes invicti membra (Glyconis,  
 Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.  
 Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. <sup>1)</sup>

Item: Virtus est vitium fugere et sapientia prima  
 Stultitia caruisse. <sup>2)</sup>

Ostendit itaque et demonstrat esse quosdam gradus et medios transitus inter virtutem et vitium, id est inter condicionem perfectae honestatis et summae cumulataeque virtutis atque nequitiam ipsam. At hoc iam contrarium est Stoicorum doctrinae pertinaciter confidenterque asseverantium, discrimen inter hanc et illam esse absolutum ita, ut etiam is, qui studio honestatis et virtutis correptus ad eam progreditur ceterisque praestare contendat atque adeo omnibus nitatur viribus, ut ad summum eius fastigium perveniat aliquando, nihilominus in pari miseria versetur paribusque demersus sit vitiis, atque ille, qui nullam ad virtutem progressionem fecerit, <sup>3)</sup>

Virtutem esse appetendam, ait poeta, omnibus modis et viribus, non tamen extra modum; cum talis agendi ratio insaniam sa-

1) Epist. I. 1, 28 sqq.

2) Ibid. v. 41. sq. Cfr. Epist. I, 16, 52.

3) Cfr. p. 7. et not. 4. Item huius libelli part. I, pag. 10 et 17. 1901.



piat et iniquitatem, quippe quae iam cum cupidine, imo libidine mentisque perturbatione quadam coniuncta sit: at hanc omni modo esse vitandam, quoniam cum virtute commune ei nihil esse debeat. Fundamentum enim felicitis vitae aequum animum esse oportere.<sup>1)</sup>

Perstat igitur ubique in ea sententia, quam tutatam esse vult, etiam in iis, quae sint bona et honesta, appetendis modum esse servandum atque moderatum cursum tenendum. Etenim si vitium sit amicum se ferre infido scurrae similem, maius prope esse contrarium:

Est huic diversum vitio vitium prope maius,  
Asperitas agrestis et inconciinna gravisque,  
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,  
Dum vult libertas dici mera veraque virtus.  
Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.<sup>2)</sup>

Proinde quid sibi fixum immotumque animo sit proponit:

Quodsi cessas aut strenuus anteis,  
Nec tardum opperior nec praecedentibus insto.<sup>3)</sup>

Et rursus: Non agimur tumidis velis aquilone secundo:

Non tamen adversis aetatem ducimus austris,  
Viribus, ingenio specie, virtute, loco, re  
Extremi primorum, extremis usque priores.<sup>4)</sup>

Ergo ne studium quidem virtutis exemptum est de illo praecaepto, quod est:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.<sup>5)</sup>

Licet igitur dicat Wyttenbachius, >neque vero Horatius ad certam sectam referri debet, minus etiam ad solam Epicuream: quin modo hanc, modo illam sequitur sectam<:<sup>6)</sup> nobis tamen collectis comprehensisque omnibus, quae adhuc disputavimus ac perpendimus, hoc iudicium aequissimum esse videtur: Ex tribus philosophiae in quas dividebatur, partibus,<sup>7)</sup> Horatius maximo cum studio colebat

<sup>1)</sup> Epist. I, 6, 15 sq. Cic. Tusc. IV, 25, 55. studia — vel optimarum rerum — sedata et tranquilla esse debent. Ibid. 29, 62. etiam si virtutis ipsius vehementior appetitus sit, eadem (est) omnibus ad deterrendum adhibenda oratio. Theogn. 325. *Μηδὲν ἀγαν σπεύδειν πάντων μέσ' ἀριστα καὶ οὕτως, Κούρ' ἐξείεις ἀρετήν, ἣν τε λαβεῖν χαλεπόν.*

<sup>2)</sup> Epist. I, 18, 5 sqq. Aristot. Eth. Nic. 2, 6. *μεσότης δύο κακῶν, τῆς μὲν καθ' ὑπερβολήν, τῆς δὲ κατ' ἄλλειψιν.*

<sup>3)</sup> Epist. I, 2, 70 sq.

<sup>4)</sup> Epist. II, 2, 201 sqq. Cfr. ibid. v. 213.

<sup>5)</sup> Sat. I, 1, 106 sq. Cic. pro Muren. 30, 63. Omnes virtutes (aiunt) mediocritate quadam esse moderatas. De Off. I, 39, 140. Eadem mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est.

<sup>6)</sup> Opp. sel. vol. II, p. 286. 1825.

<sup>7)</sup> Senec. Epist. 89. Philosophiae tres partes esse dixerunt et maximi et plurimi auctores: moralem, naturalem, et rationalem. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates verborum exigit, et structuram et argumentationes, ne pro vero falsa surrepant. Quintil. VI. 2. 8. Id. XII, 2, 10. Gell. XII, 2. Cfr. p. 5 et not. 3.

ethicam seu moralem eamque strenue persequabatur, et quidem non minus in iuventute quam provectiore aetate. Sed cum in ratione vitae iuveniliter agendaep Epicureorum disciplina conniveret, et animo ab externis illecebris et deliciis non tantum non abhorrenti sed etiam ad eandem inclinato multo magis conveniret, quam quaelibet alia ceterorum philosophorum doctrina, ideo in Satiris Horatium pro partibus illorum stare videmus, qui vitae dulcedines non aspernantes Epicureorum sectae suffragabantur eique pronis animis adhaerebant. Itaque Stoicis ille non tantum non favere, verum etiam eis adversari, eos plus minusve eludere et in praeceptis eorum cavillari videtur.

At procedente annorum serie, quum multis rerum vicissitudinibus mens poetae animusque magis atque magis in se conversus accuratius et subtiliore ingenio gravioribus ac serioribus quaestionibus solvendis se dedidisset, propensiore iam in dies animo in studium Stoicae disciplinae incumbit et diem ex die magis apprehensam adeo denique amplectitur atque talibus verbis prosequitur, ut facile appareat, eadem non solum ceteris doctrinis philosophicis ab eo praeferrí, sed etiam tamquam homine dignissimam et ad vitam cuique beatam aequabilemque comparandam efficacissimam omnibus magno opere commendari.

Ne tamen inconstantiae et tergiversationis insimularetur ab iis, quorum opinionibus placitisque prioribus annis totus paene erat addictus, libertatem sentiendi et non dependens iudicium sibi vindicandum esse ratus aperte declarat:

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:  
Nullius addictus iurare in verba magistri,  
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.<sup>1)</sup>

Quae tamen non impediunt, quominus firmiter contendamus, Horatium, qualem ex Epistulis cognitum habemus, quod ad sentiendi rationem attinet, prorsus alium se praestare esseque, quam quem in Satiris obvium habemus. Namque in his hilarem eum cavillatorem, derisorem, imo malitiosum saepe Stoicorum adversarium esse facile quisque animadverterit, in Epistulis vero, quamvis severitatem austeritatemque Stoicae doctrinae saepenumero variisque modis mitigare et delenire studeat, Stoicorum tamen sentiendi docendique rationi esse eum deditissimum et proinde verum sincerumque huius disciplinae sectatorem, neminem rerum intellegendam et in Satiris Epistulisque Horatii versatum negaturum putamus.

Itaque ut certum atque evictum est, Ciceronem, quamvis asseverantem, nullius unius disciplinae legibus se astrictum esse,<sup>2)</sup> Sto-

<sup>1)</sup> Epist. I, 1, 13 sqq.

<sup>2)</sup> Cic. Tuscul. IV, 4, 7. Nos institutum tenebimus nullisque unius disciplinae legibus adstricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile semper requiremus. Cfr. part. I. huius libelli pag. 7. 1901.

icorum tamen in ethicis amplecti doctrinam eandemque acriter propugnare et supra ceteras extollere: ita evidens est atque necessarie demonstratum, Horatium quoque praecepta Stoicorum moralia posteriore aetate prorsus adamasse singularique studio prosecutum esse. Nam persuasissimum habebat, mentem suam animumque eo magis excoli et ad perfectionem exoptatamque tranquillitatem et beatitudinem perducī posse, quo impensius diligentiusque ad eadem percipienda se contulisset penitusque iis se dedidisset.

### III.

Iam si Ciceronis Paradoxa Stoicorum cum Horatii Stoicismo Satiris Epistulisque eius comprehenso contulerimus, non multa reperiemus, in quibus alter ab altero dissentit, at permulta, in quae ambo inclinant atque consentiunt.

Et primum quidem, si Cicero, quod ad illud Paradoxon attinet, *οὐ μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν*, in ea perstat sententia, ut dicat, »si quod recte sit et honeste et cum virtute, id bene fieri vere dicitur, quod rectum et honestum et cum virtute est, id solum opinor bonum,«<sup>1)</sup> et veritatem huius Paradoxi exemplis e vita factisque petitis confirmet: etiam Horatium dogmati huius veritatis solide assentiri videmus, cum sincere atque ex animo profiteatur:

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.<sup>2)</sup>

porro:

Quid verum atque decens, curo, et rogo et omnis in hoc sum.<sup>3)</sup>  
et alio loco:

Hic murus aeneus esto:

Nil conscire sibi nulla pallescere culpa.<sup>4)</sup>

Omne tempus poetae, quod non in vera doctrinā ad virtutem ducente consumpserit, perditum videtur:

Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem  
Consiliumque morantur agendi naviter id, quod  
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aequae,  
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.<sup>5)</sup>

Poeta virtutem adeo supra omnia alia extollit, ut aperte enuntiet, qui illa sit destitutus, ei cetera bona prodesse nihil:

Sincerum est nisi vas, quodecumque infundis acescit.<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Parad. I, 1, 9. Cfr. part. I, h, libelli pag. 9.

<sup>2)</sup> Epist. I, 1, 52.

<sup>3)</sup> Ibid. v. 11.

<sup>4)</sup> Ibid. v. 60 sq.

<sup>5)</sup> Ibid. v. 23 sqq.

<sup>6)</sup> Epist. I, 2, 54. Cfr. Carm. I, 22.

Hinc Iccio laudes eximias impertit ac persuadet, nihil ei deesse posse, quin contentus sit atque laeto animo beatusque vivat, cum inter contagiosam scabiem lucri sublimia curans cuncta putet una virtute minora <sup>1)</sup>

Et quamvis non pauca inveniantur, quibus exaggerata illius Paradoxi sententia mitigatur et deprimitur:

Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,  
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam<sup>2)</sup>

et:

Nil admirari prope res est una, Numici,  
Solaque, quae possit facere et servare beatum<sup>3)</sup>

nihilominus tamen obtineatur necesse est illud, quod enuntiat poeta:

Oderunt peccare boni virtutis amore.<sup>4)</sup>

Paradoxon: *δτι ἀντάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν*, Cicero adeo pro vero habet, ut dicat, vitam viri boni et fortis et sapientis, qui sit totus aptus ex sese quique in se uno sua ponat omnia, miseram esse non posse, imo bonam atque unice exoptandam.<sup>5)</sup>

Hoc idem Horatium quoque sentire apparet:

Vis recte vivere: quis non?  
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis  
Hoc age deliciis.<sup>6)</sup>

Afirmat praeterea, arma perdidisse eum, qui virtutis viam deseruerit,<sup>7)</sup> atque exhibet beatitudinem nisi in sapientia et virtute inveniri nusquam:

— ne cui de te plus quam tibi credas,  
Neve putes alium sapiente bonoque beatum.<sup>8)</sup>

Paradoxon: *δτι ἴσα τὰ ἀμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα* respicientes, Horatium in risum illud vertere legimus:

<sup>1)</sup> Epist. I, 12, 11 sqq.

<sup>2)</sup> Epist. I, 6, 15 sq. Cfr. p. 25, et nott. 1. 5.

<sup>3)</sup> Epist. I, 6, v. 1 sq. Nam non impedita quacumque alia interpretatione equidem hunc locum ita intellegendum putaverim, ut, si quis illi extra modum elatae virtuti, qua gloriabantur Stoici, obstupefactus inhiaverit, beatus esse non possit, cum eam supra naturam esse suam conspiciens, spe ad summum eiusdem perveniendi deiectus, consilio quoque atque conatu eam assequendi decidat necesse sit. Virtus igitur, cum nihil aliud sit nisi ad summum perducta natura, naturae terminos ne transgrediatur oportet. Cfr. Cic. Leg. I, 8, 25. ibid. 16, 45. De Invent. II, 53, 159. Virtus est animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus.

<sup>4)</sup> Epist. I, 16, 52.

<sup>5)</sup> Cfr. Part. I, pag. 10.

<sup>6)</sup> Epist. I, 6, 29 sqq.

<sup>7)</sup> Epist. I, 16, 67.

<sup>8)</sup> Epist. I, 16, 19 sq.

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant.  
 Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant  
 Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.<sup>1)</sup>

Et rursus:

Non vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,  
 Qui teneros caules alieni fregerit horti  
 Et qui nocturnus sacra divum legerit.<sup>2)</sup>

Neque aliter Cicero, cum ridicula comparatione adhibita in eodem cavilletur: Omnia peccata (Zenonis sententia) esse paria; omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit.<sup>3)</sup>

Verumtamen ut Cicero id ipsum serio illustrat et commode apteque defendit dicens: »in quo peccatur, id potest aliud alio maius esse aut minus, ipsum quidem illud peccare, quoquo verteris, unum est: auri navem evertat gubernator an paleae, in re aliquantum in gubernatoris inscitia nihil interest.«<sup>4)</sup> sic Horatius, quamvis illud, quod ad vitam civilem rerumque usum attinet, si in poenis videlicet ad delicta sceleraque plectenda sine ullo discrimine adhibitis valeret, irrideat,<sup>5)</sup> tamen vim et naturam ipsius dogmatis certe agnoscit et probat, cum aiat:

Nam de mille fabae modiis cum surripis unum,  
 Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.<sup>6)</sup>

Ac ne a Paradoxo quidem, quod est apud Ciceronem IV: *ὅτι πᾶς ἄφρων μαινεται*, assensum cohiberi a poeta constat. Nam multiforem multifariamque hominum stultitiam, perversa eorum sentiendi, agendi atque appetendi ratione conspicuam, nihil aliud nisi insaniam esse, tota libri II, 3 Satira demonstratur et compluribus locis verum esse dogma ipsum confirmatur:

O bone, ne te  
 Frustrere: insanis et tu, stultique prope omnes.<sup>7)</sup>  
 deinde: Quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri  
 Caecum agit, insanum Chryssippi porticus et grex

<sup>1)</sup> Sat. I, 3, 96 sqq.

<sup>2)</sup> Sat. I, 3, 115 sqq.

<sup>3)</sup> Pro Muren. 29, 61.

<sup>4)</sup> Parad III, 20. Cfr. Part. I, p. 10 et 21.

<sup>5)</sup> Cfr. pag. 11. et not. 8.

<sup>6)</sup> Epist. I, 16, 55 sqq. vid. Krüger ad h. l. Cfr. Sat. I, 2, 62 sq. Cic. Parad. III. int. Parva, inquit, est res. At magna culpa; nec enim peccata rerum eventis, sed vitiis hominum metienda sunt. Diog. L. VII, 120: *εἰ γὰρ ἀληθὲς ἀληθοῦς μᾶλλον οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ψεῦδος ψεύδους, οὕτως οὐδὲ ἀπάτη ἀπάτης οὐδὲ ἀμαρτήματα ἀμαρτήματος.*

<sup>7)</sup> Sat. II, 3, 31 sq.

Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges,  
 Excepto sapiente tenet.<sup>1)</sup>  
 tum · — ubi prava  
 Stultitia, hic summa est insania; qui sceleratus,  
 Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,  
 Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.<sup>2)</sup>  
 denique: Quisnam igitur sanus? — Qui non stultus.<sup>3)</sup>

Idem est hoc igitur atque illud, quod apud Ciceronem legimus: nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum. — omnis autem perturbationes animi morbos philosophi appellant negantque stultum quemquam his morbis vacare: qui autem in morbo sunt, sani non sunt, et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt.<sup>4)</sup> — Quod diligenter Stoici retinuerunt: omnis insipientes esse non sanos<sup>5)</sup>

Ad sapientiam ergo acquirendam morbumque illum, quae est stultitia, sanandum serio monet hortaturque Horatius ostendens, studium hoc esse gravissimum maximeque homini necessarium atque ad aegrotationes animi extirpandas tollendasque unice efficax:

Ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones:  
 Ut te ipsum serves, non expergisceris? Atqui  
 Si nolis sanus, cures hydropicus: et ni  
 Posces ante diem librum cum lumine, si non  
 Intendes animum studiis et rebus honestis,  
 Invidia vel amore vigil torquere.<sup>6)</sup>

Et alio loco:

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,  
 Nemo a deo ferus est, ut non mitescere possit,  
 Si modo culturae patientem commodet aurem.<sup>7)</sup>

Qualem culturam autem cogitet Horatius, Cicero, sis, explicet: Cultura animi philosophia est: haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant<sup>8)</sup>

<sup>1)</sup> Ibid. v. 43 sqq.

<sup>2)</sup> Ibid. v. 220 sqq.

<sup>3)</sup> Ibid. v. 158.

<sup>4)</sup> Cic. Tuscul. III, 4, 9.

<sup>5)</sup> Ibid. 4, 10. Cfr. Part. I, p. 10 sq.

<sup>6)</sup> Epist. I, 2, 32 sqq. Cfr. Carm. II, 2, 13 sqq.

<sup>7)</sup> Epist. I, 1, 38 sqq. Morbidos esse hos eosdemque insanos ex superioribus, quos attulimus locis perspicuum est. Cfr. Sat. II, 3, 77 sqq. Epist. I, 1, 33 sqq. Cic. Tuscul. IV, 37, 79. Ubi sunt ergo isti, qui iracundiam utilem dicunt — potest utilis esse insania? — aut naturalem? An quicquam est secundum naturam, quod fit repugnante ratione?

<sup>8)</sup> Cic. Tuscul. II, 5, 13. Ibid. V, 2, 5. O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? — tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. — Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati antependendus. Senec. Epist. 78 fin. Posidonius ait: Unus dies hominum eruditorum plus valet, quam imperiti longissima aetas.

Paradoxon quod est: *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος*, aggreditur quidem Horatius, sed per speciem satirae solum et quod servum philosopho sermocinantem inducit; at qui rem accuratius perlustrant, eos non latet, veritatem huius placiti Stoicorum neque serio oppugnari neque negari.

Quin etiam, si modo, quam benigne leniterque sese gerat poeta, observemus, clara quasi voce, alienum se esse ab illa libertate, qua homo probus prudensque nedum perfectus excellat sapiens, profitemtem audimus:

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus,  
 Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent  
 Responsare cupidinibus, contemnere honores  
 Fortis, et in se ipso totus, teres atque rotundus.<sup>1)</sup>

Atque hanc esse sinceram poetae, quod ad illud attinet, sententiam, aliis probatur locis:

— animum rege: qui nisi parat.

Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.<sup>2)</sup>

Item:

Qui melior servo, qui liberior sit avarus,  
 In triviis fixum cum se demittit ob assem,  
 Non video: nam qui cupiet, metuet quoque; porro  
 Qui metuens vivet, liber mihi non erit umquam.<sup>3)</sup>

Ex his igitur apparet, neminem vera libertate frui, nisi qui sibi imperet et ab omni cupiditate ac perturbatione animi prorsus alienus sit. Quem statum animi lamen solius sapientis proprium esse novimus.

At hunc ipsum esse virum illum, quem bonum atque sapientem animo concipit poeta et tamquam unicum exemplar ob oculos ponit, cuius constantia libertasque nullis neque minis neque spoliationibus bonorum quorumcunque neque ipso mortis periculo labefactari aut de sublimi suo gradu deici possit, eiusdem Epistolae exitu edocemur.<sup>4)</sup>

Qui virtute praediti sunt, ait Cicero ad Paradoxon *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλοῦσιος*, soli sunt divites. Soli enim possident res et fructuosas et sempiternas solique, quod est proprium divitiarum. contenti sunt rebus suis, satis esse putant quod est, nihil adpetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt:<sup>5)</sup> Horatius, dum fas-

<sup>1)</sup> Sat. II, 7, 83 sqq.

<sup>2)</sup> Epist. I, 2, 62 sq. Cfr. Plaut. Trinum. II, 2, 29. Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas.

<sup>3)</sup> Eppist. I, 16, 63 sqq.

<sup>4)</sup> Ibid. v. 73 sqq. Cfr. Cic. Epist. ad fam. V, 13, 1. illum fructum ex iis litteris vel maximum cepi, quod te (Luceium) praeclare res humanas contemnentem et optime contra fortunam paratum armatumque cognovi: quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. Vid. Part. I, p. 11. et 18.

<sup>5)</sup> Parad. VI, 3, 52 Cfr. Part. I, p. 11 et 18.

tuos illos Stoicos, harum divitiarum sibi admodum conscios ridet, hoc idem paradoxon pervellere videtur:

Si dives, qui sapiens est,  
Et sutor bonus et solus formosus et est rex:  
Cur optas quod habes?<sup>1)</sup>

Attamen poeta neque hic verum huius paradoxii sensum negat et aliis locis aperte ait, solum sapientem esse divitem. Etenim tantum abesse, ut ille divitias cupiat, ut easdem etiam possidere non curet. Quodsi ita est, certe dives est, qui illis omnibus non indiget. quae aliis opus sunt quaeque cupidissime appetunt.<sup>2)</sup> Quare malle se dicit splendidiorem esse dominum contemptae rei, quam magnas inter opes inopem,<sup>3)</sup> etenim:

multa petentibus  
Desunt multa: bene est, cui deus obtulit  
Parca quod satis est manu.<sup>4)</sup>

Quemadmodum ergo Cicero suam ad Stoicorum doctrinam propulsionem atque adeo omnem in eiusdem moralia dogmata consensum in scriptis suis philosophicis comprobat, quin etiam haec ipsa eorum paradoxa, quae a vita quotidiana hominumque captu aliena esse videbantur, singulari libello ex animo defendit et arroganda commendat:<sup>5)</sup> sic etiam Horatius, tametsi in Satiris tantum a Stoicis alienus esse videtur quantum illi a vera ratione vitaeque usu abhorrent et modum omnem excedunt, tamen adeo incorruptus iudex Stoicae disciplinae existit, ut non solum cum eis in omnibus, quae cum iudicio sano congruunt neque extra humanae vitae usum egrediuntur, consentiat, verum etiam paradoxorum aliis plausum det, ex aliis veri aliquid elicere studeat atque pulchras et praeclaras sententias eorum in usum suum convertat aliisque, tanquam unice salubres et ad animum excolendum sublimeque erigendum idoneas, intime proponat.

Neque tamen Horatius magis sibi in diiudicanda Stoicorum doctrina repugnat, quam Cicero ipse. Nam iuvenili quidem aetate, quae tota hac Stoicorum disciplina maximeque in assectatoribus eius exaggerata atque ridicula apparebant, haec ille carpere et vellicare non desinebat, proveciore vero aetate praestantiam dignitatemque eius atque adeo utilitatem in vitam publicam ipsam privatamque inde profluentem agnoscens, non solum eandem laudat et praedicat atque ex animo amplectitur, verum etiam universam paene vivendi agendique rationem Stoicorum praeceptis stabiliendam esse censet et haec

<sup>1)</sup> Sat. I, 3, 124 sqq. cfr. p. 16 fin. et sq.

<sup>2)</sup> Epist. I, 1, 106. 1, 2, 46. II, 2, 180 sqq.

<sup>3)</sup> Carm. III, 16, 21 sqq.

<sup>4)</sup> Ibid. v. 42 sqq. Cfr. Silvanus Laud. Val. M. IV, 4, 1. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eo quidem certius, quam qui cuncta possidet, quia dominium rerum collabi solet, bonae mentis usurpatio nullum tristioris fortunae recipit incursum.

<sup>5)</sup> Cfr. Part. I, p. 7 sqq.



eadem, cum Cicerone prorsus consentiens, ex sui animi sententia commendat. Etenim Cicero ipse, etiamsi, quod suo loco exposuimus, quodammodo contra Stoicos agere videtur,<sup>1)</sup> tamen, quaecumque ei ad universam morales philosophiae disciplinam exstruendam opus erant, ex Stoicorum penetralibus deprompsit et sibi sincere probata et adamata ceteris sumenda utendaque praebuit.<sup>2)</sup>

Proinde qui veri iustique amore imbutus est, quique vitam tranquillam, a cupiditatibus liberam et super veram sapientiam exstructam agere desiderat, huic et scripta Ciceronis, quibus morales philosophia continetur, diligenter sunt evolvenda simulque cum paradoxis Stoicorum ab eodem eximie laudatis mente animoque haurienda, et Satirae atque Epistolae Horatii ante diem cum lumine poscendae et nocturna versandae manu, versandae diurna.

Namque Satiris, quae praecipue vitanda fugiendaque sint, admonemur, illis utrisque autem, via videlicet ad Stoicorum penetralia, ubi vera sapientia perfectaque virtus obtinetur, monstrata atque exaequata, quae maxime ad hanc et illam assequendam itaque beatam vitam in tuto collocandam necessaria sint, edocemur.

Leopoli, Idibus Juliis MCMII.

*Dr. Jos. Ogórek.*

<sup>1)</sup> Cfr. Part. I, p. 15 sqq.

<sup>2)</sup> Cfr. Part. I, p. 7 et 20 sqq.



## Corrigenda:

---

Pag.	4	linea	17	deorsum	pro atqu	edecens	lege atque	decens.	
	7	adnot.	2	linea	2	πρωιῶ	»	πρότῳ	
	»	»	3	»	1	μόνον	»	μόνον	
	8	»	4	»	2 fin.	»	in ipientes	»	insipientes
	11	linea	14	ab imo	pro essa			»	esse
	»	»	3	»	»	liben-ter		»	libenter
	12	adnot	2	linea	6	ab imo pro misero	sesse	lege	miseros esse
	13	linea	19	ab imo	pro eadem	lege	eodem		
	14	»	6	fin.	et pag.	22 lin.	16 med.	deorsum	(.) delendum
	16	»	18	»	pro	δσοφῶς	lege	δ σοφῶς	
	18	adnot.	2	linea	3	ab imo pro	ūbertas	lege	libertas
	22	»	2	»	4	»	»	»	hominis
	29	»	4	pro	Parad.	lege	Parad.		
	30	linea	6	ab imo	pro a deo	lege	adeo		

---



## Addenda et respondenda.

---

Ad libelli huius partem priorem, anno superiore editam quae nusquam potui hic addere liceat. Pag. 7 linea 6 et 7 ab imo pro defendit, convertit, legendum: defendisse, convertisse; pag. 10. et 16 linea 5 et 12 deorsum pro ἀνταρκῆς legendum ἀνιδόκης.

Quae errata equidem simul atque exemplaria nonnulla sane perpauca propria accepi, mea manu emendavi, antequam ad sodales mihi caros acceptosque misi, quod exeunte Julio mense factum est. Mense deinde Januario h. an. recensionem libelli mei reperi in commentario hic loci prodeunte, quod »Museum« inscribitur, ubi fascl. I. pag. 56 sq. iudex quidam, non tam ingeniosus, ut sibi videtur, quam mordax et malitiosus, et haec, quae modo ad pag. 7. attuli errata obicit, quod ille suo iure modo ne cum stomacho fecerit, et alia praeterea, sed ea iam non ita ingeniose quam fastuose et circumcisa grammatices quoque et stili scientia. Hoc eodem igitur commentario ut meum quoque responsum reciperetur, sodalem, qui illi adornando edendoque praeest, adii. Sed ubi, quae proposui, adeo decurtanda et circumcidenda exigebantur, ut tota mihi schedula ad nihilum paene redigeretur, equidem iam rem missam facere constitui, cum per occasionem apud Consiliarium regium eundemque nostri ludi litterarum Rectorem, Dominum Em. Wolffium, quid accidisset, mentionem feci. Tum Vir Clarissimus, pro sua qua erga omnes sodales magisterii excellit benevolentia, affabilitate, humanitate, aequae iustum atque consentaneum censuit, ut in Annalibus gymnasii proximi spatii ratione habita, quid videretur, responderem. Quod propositum equidem valde grato libentique animo acceptum ita in usum meum verti, ut, ne tacendo consentire ad illa zoili putarer obiecta, haec respondenda duxerim: Nam ille pag. 3. libelli mei part. I. pro „offensiones“ scribendum censet offensionibus, immemor constructionis, quae grammaticis attractio dicitur. Hierher (zur Attraction) gehört auch der Fall, wo das Substantiv des Hauptsatzes ein Attribut hat, und eines

von beiden in den Relativen Nebensatz hineingezogen wird<sup>1)</sup>. Eius generis est haec nostra, non indigens exemplis:

Cic. ad fam. X. 23, 6. Veniat Caesar cum copiis, quas habet firmissimas. Off. III. 25, 95. Agamemnon cum devovisset Dianae quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam.

Lael. 3, 12 licet dicere, P: Scipiōni ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse. de Leg. I. 17, 47. vel ab ea, quae penitus in omni sensu implicata insidet, inifatrix boni voluptas.

